

# SVB REVERENDI IN CHRISTO PATRIS, AC DOMINI RVD.

perti Vaucopij, Scotti, Theologi termaximi, Apostolici cōmissarij, Administratoris Ecclesiae Armacanæ, &c. Patrocinio, has collectas de Baptismatis sacramēto theses, publice examinandas proponet, easq; in clariſſimi uiri D. Osualdi Arenspergerij, sacrae Theologiae Licentiati, & mox in ea doctoris titulo exornandi, Domini sui perpetuo obſeruandi, uesperijs, quas uocant, pro ingeniolis ſui paruitate, defendet

Georgius Theander, ad diem mensis Octobris octauum.

## Quæſtio expectatoria.



N baptismus à Christo institutus, quaſi fidei signaculum, cæterorumq; sacramentorum ueluti ianua qnædam, & cuilibet homini ad ſalutem neceſſarius, nullaq; ratione reiterandus, culpam omnem deleat, & gratiam tandem quoq; infundat?

## CON. I.

Baptismus primum fidei sacramentum à Christo institutum, quaſiq; totius catholicæ discipline basis, fundamentum, & signaculum, adeoq; omnium sacramentorum ceu ostium culum, quoddam ſine ulla controuerſia & eſſe, & dici ſolet.

## COROL. I.

Baptismo itaq; primū in Christi Eccleſiam recipimur, & Christiani eſſe dicimur, eoq; tanquam ſigno aliquo extero nos eius eſſe, in quem credimus, palam profitemur, & teſtamur.

## CON. 2.

Baptismi sacramentum summe ad ſalutem neceſſarium Christus instituit in aqua, tamquam Materia. quam elemento conuenientiore, & quod facile poſſit ubiq; haberi.

## COR. I.

Est ergo ad uerum Christi Baptisma aquæ ablutio neceſſaria, quam quidem non co- munem, & prophanam, niſi urgens neceſſitas adſit, ſed uerbo uitæ ſanctificatam eſſe oportere, plurimus rationibus peruafum habemus.

## CON. 3.

Debita quoq; uerborum forma, qua in nomine dumtaxat sanctissimæ Trinitatis homo forma baptisari debet, per neceſſaria eſt, Quod ſi quipiam de eſſentia formæ omittatur, aut tanquam neceſſariū aliquid addatur, non ſolum nihil fit, ſed etiam omittens, aut eo animo ad dens, peccat.

## COROL. I.

Quamuis Apoſtoli in Christi nomine uere, & fructuofe baptifarent, in unius tamen personæ dumtaxat, aut diuinæ eſſentiae expreſſione baptifans, nihil efficeret.

## CON. 4.

Tametsi, quemadmodum Episcopus ſacri ordinis, & confirmationis sacramentis, Minister ita ſolus ſacerdos huic, & reliquis proprius minister deputetur, neceſſitate tamē cogente, cuilibet laico baptifandi facultas confeſſa eſt, Hæreticus insuper, & infidelis, recta forma, & Eccleſiae intentione ſeruata, uere baptifat.

## COROL. I.

Ab opinione itaq; illorum, qui existimabant hæreticos ab Eccleſiae conſortio ſemotos, & ſchismaticos nihil habere iuris, & potefatis, nec quicquam agere baptifando, catholicæ diſſentit eccleſia,

## COROL. 2.

A.

Quare & infantes ab obstetricibus baptisati, si recta forma baptisati sunt, non sunt denuo baptisandi, sed Chui mate. & oleo sacro insungendi.

C O N . 5.

Mundatio. In Baptismo omne peccatum tollitur, sed uetus, & carnis tyrannis, licet vires suas amittat, non penitus tamen absuntur, manet quidem non ut peccatum, sed ut peccati reliquie, & homini in exercitium uirtutum.

C O R O L . 1.

Constat proinde eos uehementer errare, qui eō cœcitatise deuenerunt, ut peccatum originis negent in baptismo ablui, sed manere etiam in regeneratis.

C O R O L . 2.

Perinde quoq; errare iudicandi sunt, contra apertas scripturas, qui adserere non uerentur, paruulos recens natos nihil ex A damo contrahere peccati originalis, quod lauacro regenerationis expietur.

C O N . 6.

Sanctifica. Gratia Baptismo datur, sed non nisi præuia fide, quæ prius ab adulto requiritur, & infans in eam educandus per patrinos, Ecclesiæ commendatur.

C O R O L . 1.

T ametsi, pueri infantes actu credere nequeant, neq; fidem doceri possint, cum careant intellectu, illis tamen sufficere fidem aliorum, adeoq; totius Ecclesiæ, in qua recte, salubriterq; baptisari possunt, indubitatum habemus.

C O R O L . 2.

Proinde concilium Mileuitanum rectissime eos, qui infantibus sacrum regenerationis lauacrum denegandum censuerunt, A nathematis damnat.

C O R . 3.

Impia quoq; est, & nepharia pestis ista anabaptistarum nostri temporis, qui afferunt paruorum Baptismum prorsus inuidum esse, atq; in anem, & propterea rebaptisandos illos, cum rationis capaces effecti, docti in fide fuerint.

C O N . 7.

Vnitas, & Lauacrum regenerationis, in quo Christo consepulti, resurgimus, & spiritus sancti irreiteratio, signaculo in die redemptionis signati sumus, semel initum, nulla reiteratione uiolandum Ephe. 4. est, tametsi Iohannis baptismo tinctor, Paulus iterum in Christo baptisari iussit. Acto. 19

C O R O L . 1.

Roma. 6. Heb. 6. Proinde cum baptismus morte Christi significet, Paulo A postolo teste, immanissimum sane retinctorū crimen est, quos idem A postolus ait, Christum iterum crucifigere, & ueluti ostentui habere, quia gratiam, & meritum passionis eius contemnunt.

C O R O L . 2.

Porro quod Baptismus nullo modo repetendus sit, ratione quoq; characteris, quem animæ baptisati indelibilem imprimit, fieri dicimus.

C O R O L . 3.

Character. Neq; est res ficta character, quem scilicet scriptura ignoret, cum ex Paulo, & pluribus scripturarum locis, sancti patres illum spiritu sancto doctore deprehenderint, & sane intellexerint.

C O N . 8.

Onus, & Tanta est huius sacramenti dignitas, uirtus, & gratia, ut nullis solennitatibus sa- solennitas. tis possit ornari, nullis ceremonijs satis queat adumbrbri, atq; explicari.

C O R O L . 1.

A dmonemur proinde, ut summa cum reverentia, & deuotione ipsum tractemus, & singulari gratiarum actione suscipiamus.

C O R . 2.

Quare & cærimonias non tam necessarias, quam fructuosas, ut quæ sacramenti dignitatem, uirtutem, & gratiam commonstrent, omnibus rationibus, uel diligentissime seruandas esse iudicamus.

C O R O L . 3.

Certe Nouatianorum uesania aguntur; qui sanctum oleum, & Chrismam, una cum Catechismo, & exorcismo, cæterisq; ceremonijs è baptismatis administratione afferunt, & quó plus uiles cere faciant tam magnum, & diuinum sacramentum, germanica etiam lingua baptisant, non sine detestando Ecclesiæ contemptu.

Conclusi. 9. & Responsua.

Baptismus omnem pœnam, ac culpam tam originalis, quæ actualis peccati, quantum de se est, auferit, gratiamq; cum cæteris uirtutibus infundit.

C O R O L . 1.

Iustissima itaq; censura damnatus est Lutherus cum Armenis hereticis, qui cum paucissima admittat sacramenta, in uniuersum tamen de eis dicit, nullum illorum conferre gratiam.

BAPTISMI COMMEN-

dato per Georgium Theandrum.

I Vre sibi partes Baptismus uendicat inter

Septem præcipuas mystica dona Dei.

E st fidei signum, nostræ Baptisma salutis.

Principium, hoc Christo nomina sacra damus.

Vllius haud sacri dabitur tibi gratia signi,

N iuitæ fueris antea lotus aqua.

Hoc reliquis sacramentis penetralia pandit,

Hoc illis iter, & ianua aperta patet.

Hoc poterit sine nemo palatia scandere cæli,

Hoc sine nullus habet regna beata Dei.

S aluus erit, genuit quem denuo flamen, & unda,

A tq; polos penetrat, præcipiente Deo.

N am cælos aperit fontis genitura sacra,

E t celsas referat tinctor sacra fores.

Peccati maculas, & crimen tollit auitum,

A bſtulit & penas spiritualis aqua.

Crimina non solum fluuius Baptismatis auferit,

Sed sacer abstergit spiritus ipse scelus.

A bluit, hic mundat, crimen detergit iniquum,

Hic fordes unda purificante lauat.

Ille nouum reddit, puer hocq; renascitur insonis:

Fit prorsus, fuerat quam prius alter homo,

Munere Baptismi pectus renouatur & ingens;

Pneumatis illustrat gratia corda pia,

*H*ec noua corda facit, facit omnia plena <sup>Superm</sup>  
*N*uminis, & flatu pectora tincta replet.  
*A*editus es mortalis homo genetricis ab alio,  
*S*piritus angelicum gignit, & unda sacra.  
*T*e mater maledictum enixa, tulitq; prophanum,  
*S*piritus ast sanctum gignit, & unda sacra.  
*F*ilius es tu irae peritum natus in orbem,  
*S*piritus ast lucis tecum, & unda tulit.  
*T*e genitrix peperit mundo, terraeq; supinæ,  
*S*piritus ast cœlo gignit, & unda sacra.  
*O*nus hæc augusta, ualeat quæ nulla profari  
*L*ingua hominum summi munera tanta Dei.  
*Q*ui à dextris meruit Christus residere parentis,  
*A*maculis animam flamine purificat.  
*T*u lotos olei sacri uirtute perungis,  
*V*inclos ob signas, numine Christe tuo.  
*O*fælix nimium, cui tam Baptista uerendus  
Contigit, excelsi filius ipse Dei.  
*C*hristicolumq; gregis pastor, magnusq; sacerdos,  
Qui afflatus lustrat pectora nostra bono.  
*D*isieclis nebulis, mentem splendore serenat  
Diuino, fidei lumine corda replet.  
*M*ors est peccati, uitæ Baptisma perhennis,  
*A*tq; nouæ pignus, iustitiaeq; typus.  
*H*oc morimur Christo, Christi quo mortis acerbæ  
Passio signatur, morsq; cruenta sua.  
*V*t semel ille tulit mortis crudelia fata,  
Et pænas, ultra non subiturus eas.  
*B*aptismus poterit nulla ratione resumi  
Sic, nulloq; modo nec repetendus erit.  
*D*enuo qui tinctum mergit, fluuiog; retингit  
Baptismi, crimen grande scelusq; facit.  
*B*rachia nimirum clavis transfigit, & artus  
Christe, tuæ spernit hic meritumq; crucis.  
*V*na redemptorisq; fides, morsq; una sacrauit  
Nullo iteranda tibi sacra lauacra modo.  
*V*t nullus poterit matris de uentre renasci,  
Cœlestis repeti sic genitura nequit.  
*N*ecq; est, quod pueros sacrato flumine priues,  
Credere ceu nequeant, atq; tenere fidem.  
*N*amq; fidem perhibet teneris Ecclesia mater  
Filiolis pia, qua tingere mandat eos.  
*I*mpie, qui prohibes pueris Baptisma retinctor,  
Huc ades, & uecors protege dogma tuum:  
*I*n tinctis reliquum qui crimen originis, inquis,  
*H*æc relegens, prauum corrigi iuditum: